



II - INDEX SODALIIUM CONSILII PRAESIDENTIAE

1

Em.mi ac Rev.mi DD. Cardinales:

EUGENIUS TISSERANT, Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae; Decanus S. Collegii.

ACHILLES LIÉNART, Episcopus Insulensis.

IGNATIUS GABRIEL TAPPOUNI, Patriarcha Antiochenus Syrorum.

NORMANNUS THOMAS GILROY, Archiepiscopus Sydneyensis.

FRANCISCUS SPELLMAN, Archiepiscopus Neo-Eboracensis.

HENRICUS PLA Y DENIEL, Archiepiscopus Toletanus.¹

IOSEPH FRINGS, Archiepiscopus Coloniensis.

ERNESTUS RUFFINI, Archiepiscopus Panormitanus.

ANTONIUS CAGGIANO, Archiepiscopus Bonaërensensis.

IOSEPH SIRI, Archiepiscopus Ianuensis.²

STEPHANUS WYSZYŃSKI, Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis.²

ALBERTUS GREGORIUS MEYER, Archiepiscopus Chicagiensis.²

BERNARDUS IOANNES ALFRINK, Archiepiscopus Ultraiectensis.

LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN, Archiepiscopus Baltimorensis.³

SECRETARIUS GENERALIS

Exc.mus D. Secretarius Generalis:

PERICLES FELICI, Archiepiscopus tit. Samosatensis.

SUBSECRETARII

Exc.mi Domini:

PHILIPPUS NABAA, Archiepiscopus Berytensis et Gibailensis Melkitarum.

CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ, Archiepiscopus Caesaraugustanus.

IOANNES VILLOT, Archiepiscopus tit. Bosporensis, coad. c.i.s. Lugdunensis.

IOANNES IOSEPH KROL, Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum.

VILLELMUS KEMPF, Episcopus Limburgensis.

¹ Profectus aetate munus deposuit: cf. p. 12.

² A Summo Pontifice nominatus est consilii praesidentiae solidalis die 24 augusti 1963.

³ Post mortem card. Meyer, a Summo Pontifice nominatus est consilii praesidentiae sodalis die 25 maii 1965.



III - PROCESSUS VERBALES

SESSIO PRIMA

(die 13 Octobris 1962, h. 10)

Post primam Congregationem Generalem coadunatur, in Basilica Sancti Petri, Consilium Praesidentiae. Omnes Sodales adsunt, nempe: Em.mi Domini Cardinales Tisserant, Liénart, Tappouni, Gilroy, Spellman, Pla y Deniel, Frings, Ruffini, Caggiano, Alfrink: adest etiam Exc.mus Pericles Felici, Secretarius Generalis.

Fit brevis discussio de muneribus et iuribus Consilii Praesidentiae et mandatum Secretario Generali datur indices a Conferentiis Episcopalibus exhibendos colligendi, ita ut distribui possint tempore utili pro suffragatione facienda proxima feria III, die 16 octobris, ad duas partes Patrum Sodalium Commissionum Conciliarium eligendas.

Recitatis precibus, sessio absolvitur.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

SESSIO SECUNDA

(die 15 Octobris 1962, h. 17)

Sessio locum habet in Aula Congregationum S. Palatii Apostolici. Adsunt omnes Sodales, praeter D.num Card. Tappouni: adest etiam Exc.mus Pericles Felici, Secretarius Generalis.

Haec statuuntur:

1. Quaesitum est an facienda sit suffragatio pro constituendis omnibus Commissionibus Conciliaribus, an pro quibusdam tantum.

Em.mi Domini Cardinales Tisserant, Liénart, Frings, Spellman, Alfrink pro omnibus stant. Dum Em.mi Domini Cardinales Gilroy, Pla y Deniel, Ruffini pro duabus tantum. (Card. Caggiano aberat).



2. Quaesitum pariter est utrum ordo libri schematum¹ sequendus esset, an a Sacra Liturgia incipiendum esset.

Post aliquam discussionem pro Liturgia steterunt — quia schema expeditioris discussionis videbatur — Em.mi Domini Cardinales Tisserant, Liénart, Frings, Ruffini, Alfrink; dum pro ordine schematum, ut in libro, fuerunt Domini Cardinales Gilroy, Caggiano, Spellman, Pla y Deniel. Praevalet ergo opinio illorum qui malunt initium tractationum conciliarium sumere a schemate Sacrae Liturgiae. Itaque feria II proximae hebdomadae incipiet discussio De Constitutione De Sacra Liturgia: deinde discutietur schema De fontibus Revelationis.

3. Consilium Praesidentiae decernit insuper:

- a) Applausus prohibentur;
- b) Praecipua monita dentur etiam lingua italica, gallica, germanica, britannica et hispanica.

4. Em.mus Card. Liénart proponit, approbante SS.mo, ut Patres Conciliares nuntium dent omnibus hominibus. Ipse Cardinalis Liénart textum nuntii parabit, a Patribus proxima sessione discutiendum.

Recitatis precibus, coetus clauditur.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

SESSIO TERTIA

(die 18 Octobris 1962, h. 17)

Adsunt omnes Em.mi Sodales; Exc.mus Secretarius Generalis et Exc.mi Subsecretarii praeter Exc.mum Ph. Nabaa.

Cum quidam Sodales relevaverint aliquas irregularitates forte admissas in eligendis Membris Commissionum Conciliarium, E.mus Card. Tisserant, Decanus, communicat Summum Pontificem sanationem concessisse, si et quatenus, ab omnibus forte admissis irregularitatibus supra dictis.

Em.mus Card. Tisserant, Decanus, legit insuper processum Verbalem Secretariatus de Negotiis Concilii extra ordinem, cum approbatione Sanctissimi, quos quaedam normae statuuntur pro recta Concilii disciplina.

Statuitur praeterea moderationem Concilii faciendam esse a Praesidibus per turnum: praesidem autem per turnum moderantem sedere debere in centro, tamquam legatum Summi Pontificis.

¹ Cf. *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus, Series I*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962.



Em.mus Card. Ruffini vehementer postulat ut bene delimitentur munera et rationes inter Consilium Praesidentiae et Secretariatum extra ordinem, ne conflictationes et confusiones exoriantur.

Em.mus Card. Frings conqueritur quod: 1° In Congregatione generali diei 16 octobris elapsi Em.mus Card. Ottaviani bis locutus sit, prima vice cum licentia Praesidis, altera vero sine licentia; 2° Unus ex Praesidentiae Sodalibus (id est Card. Ruffini) declarationem fecerit, nomine Praesidentiae, quin Praesidentia audita fuerit; 3° Secretarius Generalis intervenierit sine permissione. Cui ultimae querelae Exc.mus Secretarius Generalis ipse respondet se debitam a Praeside licentiam petiisse et obtinuisse.

Em.mus Card. Pla y Deniel postulat ut a Congregatione generali arceantur "familiares"; quaerit insuper utrum, qui votum scripserit, debeat petere verbum.

Respondetur affirmative, iuxta tamen ea quae scripserit.

Em.mus Card. Ruffini petit preces "Adsumus" in peculiari folio imprimi, Patribus distribuendas, insuper Evangelii inthronizationem fieri ante preces "Adsumus"; altare ita collocari ut facile amoveri possit.

Exc.mus Secretarius Generalis promittit haec factum iri, quatenus potis sit.

Quoad electiones Membrorum Commissionum Conciliarium, Em.mi Sodales suas exponunt sententias. Em.mus Card. Ruffini et Em.mus Card. Spellman censent sufficere maioritatem relativam inde a prima suffragatione.

Exc.mus Secretarius Generalis exponit difficultates scrutinii tam immensi et necessitatem inveniendi viam qua celerius procedi possit.

Recitatis precibus, sessio concluditur.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

SESSIO QUARTA

(die 19 Octobris 1962, h. 17)

Omnes Sodales et Subsecretarii, una cum Secretario Generali, adsunt.

Fit disceptatio de suffragationibus actis, quorum scrutinia magno cum labore peraguntur.

Exc.mus Secretarius Generalis notum facit de sero promptos esse elenchos electorum pro sex Commissionibus: et pro omnibus, attento exitu, necessarias forsitan fore alias suffragationes.

Inter Sodales disceptatur utrum ad alias suffragationes procedendum sit, iuxta Ordinem Concilii celebrandi, an potius petendum sit a Summo Pontifice ut satis habeantur maioritates relativae, per factas suffragationes habitae.

Exc.mus Secretarius Generalis, qui per se cognoscit quantum temporis



et patientiae requirant suffragationes et subsequencia scrutinia et quod damnum inde Concilii labores patiantur, vehementer rogat ut a Summo Pontifice gratia postuletur.

Sodales, qui sunt inter se divisi, volunt exquirere sententiam Em.mi Cardinalis a Secretis Status. Hic proinde accersitur et, audita relatione, censet pro altera sententia, iuxta mentem Secretarii Generalis, standum esse: promittit autem se esse gratiam a SS. Domino petiturum.

Conveniunt omnes.

Probatur item Nuntius mittendus a Concilio universis hominibus: qui nuntius propositus fuerat, indeque emendatus, per Em.mum Card. Liénart.

Recitatis precibus, sessio absolvitur.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

SESSIO QUINTA

(die 5 Novembris 1962, h. 18)

Omnes interveniunt. Attento quod Patres numerosiores et prolixè loquantur, Em.mus Cardinalis Döpfner et Exc.mus Secretarius Generalis suggerunt ut petatur a SS.mo Domino pro Consilio Praesidentiae facultas proponendi Congregationi Generali cessationem a disceptatione, quoties argumentum satis tractatum videatur.

Haec eadem propositio facta fuerat a Secretario Generali coetui Secretariatus de Negotiis extra ordinem eodem die habito, et a Secretariatu adprobata fuerat.

Consilium Praesidentiae et ipsum adprobat.

Recitatis precibus, coetus clauditur.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

SESSIO SEXTA

(die 19 Novembris 1962, h. 12,30)

Post Congregationem generalem, in ipsa Basilica S. Petri, Consilium Praesidentiae cogitur.

Cum de Schemate "De fontibus Revelationis" multa diversa neque concordantia Patres dixerint, Sodales Consilii quaerunt quidnam de eo faciendum sit.



Post discussionem decernitur ut a Patribus in Congregatione generali sequenti quaeratur suffragium an disceptatio circa praedictum schema continuanda sit necne.¹

Sessio concluditur precibus suetis.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

¹ Formula quaesiti deinde mutata est in aliam: « utrum disceptatio interrumpenda sit ». Mutatio formulae decreta est et communicata secretario generali a praeside de turno, card. Joseph Frings, post interventum card. Ruffini, de consilio praesidentiae.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

NOTA

Sessiones Consilii Praesidentiae vix aliae habitae sunt; erat autem discrimen frequens inter Consilium Praesidentiae et Secretariatum de Negotiis extra ordinem: quod res saepe confusas fecit.

Sessionum Secretariatuum de Negotiis extra ordinem processus verbalis numquam ex norma factus est: in prima sessione Secretarius Generalis nec fuit quidem accessus, sed decisiones captae sunt quae postea, approbante Summo Pontifice, ad Consilium Praesidentiae delatae sunt.² In aliis vero sessionibus decisiones, si quae dabantur, deferendae statim erant a Secretario Generali ad Consilium Praesidentiae, quod plurimum vix eas accipiebat, nisi respuebat.

Postquam autem decisio Consilii Praesidentiae de proseguenda disceptatione schematis "De fontibus Revelationis" enervata practice fuit per interventum Summi Pontificis, Consilium Praesidentiae fere nullum alium coetum habuit.

1 Decembris 1962.

PERICLES FELICI, *secr. gen.*

² Cf. pp. 28-29.